tores conqueruntur, a quibus nonnumquam reſponderi ſolet executionem perperam, & injuria denegatam fuiſſe, quia expreſſio cauſarum, earumque verificatio in diſpenſationibus, non eſt aliquid ſubſtantiale, ſed formalitas quædam, & Forenſis ſtili conſuetudo: quod non minus veritati adverſatur, quam executionis ordinem ac modum bene, ac prudenter conſtitutum ſubvertit; „ cum expreſſio cauſarum earumque verifica- „ tio ad ſubſtantiam, & validitatem diſpenſationis „ pertineat, illiſque deficientibus gratia nulla ac ir- „ rita ſit, nullamque executionem mereatur.

Id autem ut plurimum evenit in diſpenſationibus, in quibus apponi ſolet clauſula: *Et Oratoribus vitæ periculum immineret*, quæ cum ſæpe in diſpenſationibus in primo, & ſecundo, vel in ſecundo gradu, & in nonnullis aliis canonicis impedimentis ſine ulla ratione, cauſa, & veritate expreſſa reperiatur, Ordinarii Locorum, qui cautius, & accuratius ſe gerunt, niſi vitæ periculum immineat, diſpenſationem exequi recuſant; alii vero, fortaſſe falſo rumore inducti, quod hujuſmodi clauſula ſit mera formalitas, indulgentius quam neceſſe eſt procedentes, periculo vitæ neque argumentis probabilibus verificato, eoque Oratoribus ſaltem veriſimiliter imminere comperto, gratiam diſpenſationis exequuntur.

S. M. Prædeceſſor Noſter Pius PP. V. in ſua Conſtitutione per viam Motus proprii expedita, & publicata ſub die 5. Decembris anno MDLXVI. cujus initium eſt: *Sicut accipimus*: „ decrevit, omnes & „ ſingulos Procuratores, tam Officii Sacræ Pœniten- „ tiariæ, ſeu contradictarum, quam alios quoſcum- „ que Sollicitatores, & Scriptores, qui veritatem fa- „ cti a narratione, quam ab ipſis Partibus habue- „ runt, quoad ſubſtantialia, & qualitates neceſſario ex- „ primendas diverſam faciunt, ſeu aliquo modo inter- „ vertunt, aut immutant, aut depravant, & per ſub- „ reptionem, & obreptionem gratias a Romanis Pon- „ tificibus extorquent, pœnam falſi incurrere, & ea „ puniri omnino debere.

Hujuſmodi autem conſtitutio quamquam videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores, Sollicitatores, & Scriptores Officii Sacræ Pœnitentiariæ, ubi per id temporis matrimoniales diſpenſationes etiam in foro externo concedi ſolebant, nihilominus pro Paſtorali Noſtra, & Paterna ex Alto Nobis commiſſa horta- „ mur, monemus, ac præcipimus omnibus, & ſingu- „ lis negotiorum Geſtoribus, Procuratoribus, & Ex- „ peditoribus Literarum Apoſtolicarum, etiam Da- „ tariæ Noſtræ, ut cum ſupplices preces pro aliqua „ matrimoniali diſpenſatione porrecturi ſunt, id pri- „ mum ante omnia agant, ut plenam atque exactam „ facti notitiam aſſequi curent, ſciſcitantes ab ipſis „ Oratoribus, an hæ & illæ cauſæ adſint, ex quibus „ ſciunt diſpenſationem concedi ſolere in hoc vel il- „ lo gradu, deinde in ſupplici libello facti ſpeciem „ nitide, ac ſincere exponant, caveantque diligen- „ ter, ne illam aliquatenus in rebus ſubſtantialibus „ alterent, immutent, invertant, corrumpant, ſed „ ſtricte adhæreant iis, quæ ab Oratoribus ſibi expo- „ ſita fuerunt, & multo magis abſtineant, ne quid „ falſi aut ficti proprio ingenio inventum vel exco- „ gitatum ad gratiam diſpenſationis facilius obtinen- „ dam in precibus obtrudant; demum præ oculis habentes, ſe operam ſuam in Eccleſiaſticis negotiis in hac Alma Urbe exhibere, ubi Cathedra veritatis eſt, ipſam ſolam ament, & ſectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, & favorem ſupplicantium, diligenterque videant, ne mendacii aut erroris merito argui cum animæ ſuæ detrimento poſſint falſo, & perperam afferentes cauſas, earumque verificationes ex provida Noſtrorum Prædeceſſorum diſpoſitione in hujuſmodi gratiis ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigorem, & Canonicarum legum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum voluntatem ſervandam apponi, & reſpective demandari ſolitas, vanas, & ſuperfluas eſſe, & tanquam inanes Curiæ formalitates parvi aut nihili eſſe faciendas.

Præterea hujuſmodi graves abuſus, quibus honor, & decus hujus Almæ Urbis dehoneſtatur, & Sedis Apoſtolicæ ſplendori, ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes: motu proprio, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præfatam „ Conſtitutionem s. m. Pii V. Prædeceſſoris Noſtri „ extendimus, dilatamus, ac producimus ad omnes „ prædictos negotiorum Geſtores, Procuratores, & „ Expeditores literarum Apoſtolicarum, cujuſcum- „ que ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, & „ quocumque indulto, privilegio, & dignitate mu- „ nitos, & quatenus opus ſit, eam denovo ferimus, „ ſtatuimus, & innovamus, volentes, ac decernen- „ tes, ut in omnibus ſuperius expreſſis caſibus pœ- „ na falſi contra Delinquentes locum habeat, ſine „ tamen præjudicio obligationis refundendi expenſas „ Oratoribus, qui ob illorum culpam ejuſmodi diſ- „ penſationes, quæ executioni demandari nequeunt, „ obtinuerunt.

Denique omnes, & ſingulos Venerabiles Fratres Noſtros Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Locorum Ordinarios, cæteroſque „ Executores Literarum Apo- „ ſtolicarum, quibus hujuſmodi diſpenſationum exe- „ quutio committi ſolet, enixe rogamus, & obſecra- „ mus, ut ſedulo ac diligenter attendant, priuſquam „ diſpenſationis gratiam exequantur, an cauſæ in „ Apoſtolicis literis expreſſæ, & quarum verificatio „ eorum curæ, & vigilantiæ a Sede Apoſtolica com- „ miſſa eſt, veræ ne, an ſecus exiſtant, an potius „ Sedi Apoſtolicæ falſum expoſitum, & veritas reti- „ cita fuerit; qua ſuper re eorum conſcientiam oneramus. Et quoniam in iiſdem Apoſtolicis literis ſuper diſpenſationibus in gradibus prohibitis, aliiſque præfatis impedimentis nonnulla obſervata ſunt, quæ negotium Executoribus quandoque exhibere, & ſcrupulos eorum animis ingerere ſolent, Apoſtolicæ Noſtræ ſollicitudinis erit, ea dilucidius, & apertius in iiſdem diſpenſationum literis Apoſtolicis exponere, ac declarare, ut omni dubitatione ſublata, & cauſis coram Executore hujuſmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, Apoſtolicæ literæ matrimonialium diſpenſationum ſine ulla hæſitatione ad debitam executionem deduci poſſint.

Mandamus quoque, & injungimus dilecto filio Pompejo Tituli Sancti Euſebii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali Aldrovando nuncupato Prodatario Noſtro, ejuſque Succeſſoribus Datariæ Apoſtolicæ Prodatariis, ſeu Datariis pro tempore exiſtentibus, ut in præmiſſis reos, & culpabiles repertos pœna falſi, ut præfertur, puniant, cum poteſtate citandi, etiam per edictum, conſtito ſummarie de non tuto acceſſu, aliaque dicendi, & faciendi in præmiſſis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus, & quibuſvis privilegiis quibuſcumque perſonis etiam ſpeciali mentione dignis, datis &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem quinto Cal. Martias anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

ALTERA ADDITIO.

QUod ad materiam diſpenſationum matrimonialium attinet, non ab re erit aliquas hic addere regulas a Confeſſariis in praxi obſervandas, quas ex Roncaglia decerpſimus.

I. Advertat Confeſſarius diſpenſationem impetratam pro eam ignorante, ſive etiam pro invito; validam eſſe; nullo enim jure reprobatur: *Sanchez l. 8. dict. 26. n. 4., Bonac. de privil. par. 3. n. 1.* Et hoc verum eſt etiam quoad diſpenſationes S. Pœnitentiariæ, quamvis aliqui contradicant; neque enim illud præcipue conſiderat qualis ſit Orator, ſed intendit præbere remedium caſui, qui illi proponitur, quicumque ſit Orator: *Diana tom. 3. tract. 2. reſolut. 83.*, & alii apud ipſum. Si igitur Confeſſarius agnoſcat aliquos matrimonium contraxiſſe num impedimento dirimente, & ſimul videat, quod, ſi tale impedimentum illis aperiat, occaſionem præbebit pluribus peccatis, maxime ſi putet a copula non ceſſaturos, ipſe petat diſpenſationem quoad illud impedimentum, & poſt ejus adventum, detecto impedimento, revalidet matrimonium.

II. Notet Confeſſarius quod dum dubium eſt, an diſpenſatio ſit ad aliquod extendendum, nec ne, eſt potius limitanda; reputatur etenim odioſa, cum ſit vulnus legis: *Sanchez de matrimon. lib. 8. dict. 2. n. 9.* Si proinde aliquis e. g. diſpenſatus fuerit a voto caſtitatis, dubiumque oriatur, an totaliter fuerit diſpenſatus, vel ſolum ad contrahendum hic & nunc matrimonium, ſolum ad hunc effectum judicandum eſt fuiſſe diſpenſatum. E contra, ſi dubium emergat de valore ipſius diſpenſationis, diſpenſatio ſuſtinenda eſt, utpote quia jura judicant pro valore actus: *leg. quoties ff. de reb. dubiis, cap. Abbas de v. ſ., Sanchez lib. 8. dict. 21. numero 20. & 25., Palaus de privileg. dict. 6. part. 16. §. 4. num. 3., Pontius lib. 8. cap. 17. num. 2.*

Videat proinde Confeſſarius, ſeu Parochus, quod ſi poſt adventum diſpenſationis inſurgat lis, an ſit exequenda, quia reperitur e. g. expreſſam fuiſſe aliquam cauſam falſam, & dubitatur, an fuerit motiva, vel impulſiva, vel quia dubitatur, an ſit ſatis expreſſa veritas narratorum &c., ſtandum eſt pro validitate ipſius diſpenſationis. Idem dicendum ſi expreſſæ fuerint duæ cauſæ motivæ, quarum utraque ſit ſufficiens ad diſpenſationem; quidquid enim aliqui contrarium ſuadeant, dum una falſa ſit, ſtandum eſt pro valore diſpenſationis; cum etenim, ut ſupra dictum eſt, tunc copulativa reſolvatur in disjunctivam, ſat eſt unam fuiſſe veram: & ulterius, ſi ordinarie ex quacumque illarum cauſarum concedatur diſpenſatio, bene præſumi poteſt quamlibet etiam ſolitarie ſumptam ſufficienter moviſſe ad eam concedendam. Cum igitur ad ſummum in tali caſu dubius ſit valor diſpenſationis, ab illius Executore pro valida habenda eſt.

Idem dicendum quoties probabiliter ex utraque parte diſputant DD. de valore diſpenſationis. Aliqui e. g. dicunt diſpenſationem obtentam ab eo, qui emiſit votum Religionis, & in ea perſeverandi, nullam eſſe, ſi ad eam obtinendam expoſitum ſolum fuerit votum Religionis, non vero votum in ea perſeverandi: *Sanchez lib. 8. dict. 21. num. 23.* Aliis vero placet validam eſſe, quia votum Religionis non videtur diverſum a voto profitendi: *Diana tom. 2. tract. 6. reſolut. 68.*, & alii apud ipſum. In hoc igitur caſu, cum dubia ſit diſpenſatio, valida cenſenda eſt, & idem, ut dixi, judicandum de quacumque diſpenſatione conceſſa in caſibus, in quibus utrinque vere probabiliter de ea diſputatur. Solum crederem non attendendam diſpenſationem in caſibus, in quibus non fuerit expreſſum, quod ex conſuetudine, vel ſtylo Curiæ erat exprimendum, quamvis non deſint qui pro illius valore judicent. Ratio eſt, quia Pontifex numquam intelligit recedere in diſpenſando ab eadem conſuetudine, ſeu ſtylo. Hac ratione quamvis ſpeculative vera videatur opinio, qua dicitur non exprimendam eſſe copulam habitam a conſanguineis, qui petunt diſpenſationem ad matrimonium contrahendum, ut pluribus docent Salmanticenſes *tract. 9. cap. 14. num. 40.* nihilominus ab ea receſſi, quia etiam moderni Scriptores teſtantur illi ſtylum Curiæ adverſari.

III. Pro praxi exequendi literas diſpenſationis emanatas a Sacra Pœnitentiaria, explicabo quæ ſolent contineri in literis diſpenſationis ſuper impedimento occulto affinitatis poſt contractum matrimonium; nam continent omnes clauſulas principales literarum, quibus datur facultas diſpenſandi etiam ſuper aliis impedimentis, additis eis, quæ præciſe requiruntur pro hujus impedimenti diſpenſatione.

Primo igitur ſi hujuſmodi literæ ita habeant inſcriptionem: *Diſcreto viro, Confeſſario ex approbatis ab Ordinario*, poſſunt exequi a quocumque, qui etiam non ſit Doctor in S. Theologia &c. dummodo tamen vel ſit approbatus ab Ordinario, in cujus Diœceſi exequuntur, quamvis non ſit Ordinarius ipſius Pœnitentis, vel ſit approbatus ab Ordinario pœnitentis. A quocumque alio iſtæ literæ invalide exequerentur: *De Juſt. lib. 1. cap. 8. n. 99.* Si vero hujuſmodi literæ hanc habeant inſcriptionem: *Diſcreto viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori &c.* valide eas exequi non poſſunt, niſi ii, qui vere in publica Univerſitate, ſive Academia inſigniti ſint laurea Doctoratus in Theologia, ſive Jure Canonico. Ratio eſt, quia carentes hac prærogativa vere non ſunt Delegati a S. Pœnitentiaria ad ſuas literas exequendas; præcipue cum illis delegentur ratione dignitatis: *arg. cap. ſtatutum de reſcript. in 6.* adeoque invalide exequerentur a quocumque non Doctore, quamvis doctiſſimo: *Sanchez lib. 8. d. 34. n. 5. Pontius de Matrim. l. 8. cap. 21. §. 1. n. 13. De Juſt. lib. 1. cap. 8. a n. 95.* Oportet inſuper hujuſmodi Doctores eſſe Confeſſarios approbatos ab Ordinario, eo modo quo ſupra dictum eſt, ut patet ex ipſo reſcripto S. Pœnitentiariæ. Ex privilegio autem conceſſo a Gregorio XIII. Societati Jeſu poſſunt ipſius Confeſſarii ſpecialiter ad hoc delegati a Præpoſito generali, vel de ejus licentia ab aliis Superioribus Societatis, exequi literas S. Pœnitentiariæ. Extenditur eadem facultas ad alios Mendicantes habentes communicationem cum privilegiis Societatis: *Sanchez lib. 8. d. 34. num. 11. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 63. a num. 8. De Juſt. lib. 1. cap. 8. n. 10.* Idem poſſunt facere Lectores Jubilati Ordinis Seraphici ex privilegio Innocentii XI. ut conſtat ex illius Bulla *Exponi nobis &c.* emanata 27. Novemb. 1679.

Vult deinde S. Pœnitentiaria, ut conſtat ex ejus literis, ut Confeſſarius, qui debet eas exequi, ſit electus ab eo, pro quo fuerunt expeditæ; unde non electus ab eodem non intelligetur eſſe Delegatus ipſius S. Pœnitentiariæ. Quod ſi electus id facere recuſet, vel ob nimium rigorem diſpliceat pœnitenti, poterit alium eligere; nam ita fieri poteſt in foro conſcientiæ, pro quo dumtaxat tales literæ conceduntur: *Sanchez l. 8. d. 27. n. 40. Corrad. l. 7. cap. 4. num. 72. De Juſt. l. 1. cap. 8. n. 122.*

Debet tertio Confeſſarius executor examinare, an verum ſit quod fuit expoſitum S. Pœnitentiariæ, nulla enim eſſet diſpenſatio, ſi id verum non eſſet, utpote quia deficeret conditio, ſine qua non conceditur facultas ad diſpenſandum: *arg. cap. cum lecta de reſcript.* Quia tamen in foro conſcientiæ pœnitenti etiam non juranti creditur, ideo ſatis eſt, ſi Confeſſarius ex teſtimonio ipſius pœnitentis adinveniat veras fuiſſe preces expoſitas: *Sanch. lib. 8. d. 34. n. 21. De Juſt. lib. 1. cap. 8. n. 127.* Non valide autem diſpenſaret quoties alias ſciret falſum eſſe, quod pœnitens expoſuit; nam revera deficeret conditio, ſub qua conceſſa eſt facultas diſpenſandi: *De Juſt. num. 129.* Ulterius advertendum, quod ſi conceſſa eſt dicta facultas cum iſta clauſula: *quatenus ſi ita eſſe per diligens Oratoris examen inveneris &c.* omiſſio examinis nullam reddit diſpenſationem; nam tunc examen pœnitentis habet rationem con-

conditionis, & non ſervata conditione, ſeu forma præſcripta, ſemper corruit actus, ut dixi ſupra, & tradunt in præſenti etiam Guttierez *can. qq. lib. 2. c. 15. n. 112.* Garz. *de beneſ. part. 6. c. 2. n. 265.* Si vero concedatur dicta facultas cum iſta clauſula: *ſi ita eſt: ſi preces veritate nitantur*, tunc peccabit quidem Confeſſarius omittendo examen veritatis; at non obſtante tali omiſſione, valida erit diſpenſatio, ſi verum fuerit expoſitum, utpote quia dictæ clauſulæ de jure inſunt omni diſpenſationi, quamvis non exprimantur: *cap. 2. de reſcript.* expreſſio autem illius quod de jure tacite ineſt, nec formam, nec conditionem importat: *Sanch. l. 3. d. 33. num. 3.*

Quarto, cum modo, quidquid fuerit de antiquo ſtylo, apponatur in literis S. Pœnitentiariæ illa clauſula, *audita prius ſacramentali confeſſione*, oportet ad valorem diſpenſationis diſpenſandum ſacramentaliter confiteri Confeſſario electo pro diſpenſatione. Et ratio eſt, quia clauſula in ablativo poſita conditionem importat: *leg. a teſtatore, ff. de condit. & demonſtr.* & cum conditio rationem formæ importet: *leg. qui hæredis, leg. Mevius, ff. eod.* conſequens eſt indiſpenſabiliter neceſſariam eſſe ad valorem actus: *cap. cum dilecta 22. de reſcript. & leg. diligenter 5. digeſtis, mandati*. Accedit ad demonſtrandam neceſſitatem ſacramentaliter confitendi prædicto Confeſſario, non concedi ipſi facultatem diſpenſandi, niſi in actu confeſſionis, ut conſtat ex illa clauſula: *in foro conſcientiæ, & in ipſo actu Sacramentalis confeſſionis tantum, & non aliter, nec alio modo*. Certe ex prædictis verbis clara eſt neceſſitas diſpenſandi in actuali confeſſione; nam illa particula *tantum*, ſolum includit expreſſum, & cætera excludit: *Barb. de diction. d. 403. n. 2.* & illæ particulæ *non aliter, nec alio modo* important præciſam neceſſitatem, & excludunt omnem modificationem, & interpretationem: *Barb. de clauſul. 281.*

Quinto, ſi talis naturæ ſit diſpenſatio, ut præſcribatur in ea removeri occaſionem, puta ſi quis petat diſpenſationem affinitatis, quia ante contractum matrimonium vir peccaverit cum Sorore illius, quam duxit, vel vellet ducere, id intelligendum eſt de occaſione proxima; unde non eſſet neceſſe removere illam a domo Oratoris, ſi non amplius peccent. Quia tamen ita præſcribitur per clauſulam in ablativo poſitam, videlicet: *ſublata occaſione, ſi quæ adhuc extat*, hinc eſt, ex dictis ſupra, hanc clauſulam induere rationem conditionis, qua non adimpleta, invalida eſſet diſpenſatio.

Sexto, conceditur Executori facultas ad abſolvendum a quibuſvis ſententiis, & cenſuris, juxta formam ſcilicet, qua hæc abſolutio conceditur in foro Sacramentali.

Septimo, imponitur Executori negare diſpenſationem, ſi putativi conjuges ſeparari poſſint ſine ſcandalo; vel ſi induci poſſint ad habitandum tamquam frater, & Soror. Facile poſſent ſeparari ſine ſcandalo putativi conjuges, quando eſſent vagi, & non habiti eſſent ut conjuges in loco, in quo executioni mandatur diſpenſatio. Cæterum difficile eſt talem ſeparationem fieri poſſe ſine ſcandalo, in loco, ubi ut conjuges habiti ſunt, ſicut etiam illos inducere ad cohabitandum ſine periculo incontinentiæ. Quoties igitur Confeſſarius, conſideratis conſiderandis, prudenter judicet nullum ex prædictis poſſe obtineri, deveniendum eſt ad diſpenſationem, nec debet velle de iiſdem per experientiam certiorari: *Sanch. l. 8. d. 34. n. 60. De Juſt. l. 1. c. 8. n. 178.*

Octavo, præcipitur iterum ſecreto celebrari matrimonium, certiorata parte innocente de nullitate prioris conſenſus.

Nono, vult Pontifex pro foro tantum conſcientiæ declarari legitimam prolem, ſi quæ ſit. Ubi advertas prolem ſuſceptam ex matrimonio nullo, ſed bona fide, ſaltem ex parte unius, contracto præmiſſis denunciationibus, de jure eſſe legitimam: *argum. leg. filium 6. digeſtis debis, qui ſui, vel alieni, & princip. inſtit. de patr. poteſt., & cap. 2. qui filii ſint legitimi, cap. cum inhibitio 3. de clandeſt. deſponſ. junct. Gloſſ. v. ambo parentes*. Videndus etiam inter alios Barboſa *in cap. ex tenore 14. qui filii ſint legitimi, n. 2.* Dum ergo vult Pontifex decernendam eſſe illegitimam pro foro conſcientiæ prolem, loquitur de prole nata a conjugibus, quorum uterque mala fide matrimonium contraxerit.

QUÆRES.

4217 *Quid agere debeat executor, ſi poſt expeditam diſpenſationem comperiat ſe erraſſe?*

REſp. Quod executor tamquam delegatus non poteſt ſanare errorem, Tambur. *cit. §. 1. num. 20* quia delegatus poſtquam functus eſt munere ſuo, nihil poteſt.

Quia tamen talis executor pro foro externo ſolet eſſe Ordinarius, cui incumbit providere in quantum poteſt, ne delicta patrentur; ideo, ſi erravit in exequendo, debet matrimonium prohibere; & ſi reperiatur contractum, debet conjuges ſeparare, donec iterum a Pontifice diſpenſatio concedatur.

4218 Si erravit denegando diſpenſationem, pronunciando eam invalidam, tunc nil poteſt, ſed tunc debent Oratores iterum recurrere ad Papam, ſeu Datariam, expoſito errore; non enim poteſt ut delegatus, quia ut delegatus jam functus eſt officio ſuo pronunciando diſpenſationem invalidam: *ut in num. 3217.* nec ut Ordinarius; quia ut Ordinarius non habet auctoritatem exequendi diſpenſationem Pontificiam per errorem denegatam. Hic autem eſt ſermo de diſpenſatione conceſſa per Datariam, ſeu pro foro externo, qui in jure, data ſemel ſententia, non admittit reditum ob eamdem cauſam.

4219 Loquendo autem de diſpenſatione conceſſa per S. Pœnitentiariam pro foro interno conſcientiæ, poteſt error in denegando commiſſus a Confeſſario ſanari; quia de natura fori interni conſcientiæ eſt, ut Confeſſarius poſſit mutare conſilium per meliorem conſiderationem, aut opinionem, & per rectum judicium.

Hinc fit, ut ſi Confeſſarius legitime ab oratore electus aperiat litteras S. Pœnitentiariæ, & deneget diſpenſationem, putans, cauſam non verificari; poſtea, re maturius conſiderata, judicet cauſam verificari; adhuc poteſt diſpenſare, quia opinio, vel error alterius non debet obſtare oratori.

Nec obſtat, quod litteræ fuerint apertæ, quia aperitio illa fuit materialis, quæ non obſtat valori, & Confeſſario injungitur aperitio formalis, videlicet cum facultate diſpenſandi. Ita Tambur. *citat. cap. 13. §. 3.*

DE CESSATIONE DISPENSATIONIS.

4220 DIſpenſatio non ceſſat per ceſſationem cauſæ impulſivæ, bene vero per ceſſationem cauſæ finalis, ſeu principalis: cauſa namque principalis diſpenſationis verificari debet: *v. n. 4187.*

Pro cujus rei claritate, quinque ſunt diſtinguenda tempora, 1. Quando mittitur ſupplicatio ad Pontificem. 2. Quando ea lecta Pontifex annuit. 3. Quando executor diſpenſationem concedit. 4. Quando poſt diſpenſationem conceſſam matrimonium contrahitur. 5. Denique, quando matrimonium eſt jam contractum. Hac diſtinctione præmiſſa,

Conveniunt Doctores, non eſſe opus, ut cauſa verificetur primo tempore. Tambur. *lib. 8. tract. 2. §. 3. n. 4.* Bonacin. & alii apud ipſum. Quantum ad reliqua tria tempora.

4221 Dico 1. Opus eſſe, ut cauſa verificetur ſecundo tempore, nimirum quando Pontifex annuit, Caſtropal. *tom. 1. tract. 3. diſp. 4. part. 5. num. 2.* contra

tra Tambur. *cit.* quia Pontifex ſupplicationibus annuit, ſi expoſita ſint vera. Quæ opinio eſt probabilior, ſimul & tutior, adeoque ſervanda, cum agatur de valore Sacramenti: *vid. num. 75. & a num. 3256. ad 3284.*

4222 Dico 2. Si cauſa ſecundo tempore, quando Pontifex annuit, erat vera; tertio vero tempore, quando executor illam concedit, ceſſaverit eſſe vera; poteſtas diſpenſandi ceſſat, & ſi concedatur, eſt invalida. Eſt communis, & ſequitur a fortiori, maxime ex verbis litterarum diſpenſationis, *ſi eſt ita*.

4223. Dico 3. Si cauſa ſecundo, & tertio tempore fuit vera, quarto autem tempore, quando poſt diſpenſationem ab executore conceſſam matrimonium contrahitur, ceſſaverit eſſe vera, ceſſat diſpenſatio, & diſpenſati tenentur ſub nullitate a matrimonio contrahendo abſtinere. Sanch. *lib. 8. de Matrim. diſp. 30. n. 14.* contra Tamb. *cit. num. 9.* Ratio eſt; quia tunc diſpenſatio ceſſante cauſa, non ceſſat, quando eſt redacta ad actum irrevocabilem; diſpenſatio autem, quamvis ſupponatur ab executore conceſſa, non dicitur redacta ad actum irrevocabilem, niſi quando matrimonium eſt jam actu contractum, minime antequam contrahatur: igitur ſi cauſa, quæ ſecundo & tertio tempore fuit vera, ceſſet ante quartum tempus, antequam ſcilicet matrimonium contrahatur, diſpenſatio ceſſat, quoniam non eſt jam redacta ad actum irrevocabilem, ſed faciliter revocari poteſt.

Hinc ſi cauſa, ob quam fuit diſpenſatum, fuit paupertas mulieris: ſi mulier ſive ſecundo tempore, quando Pontifex annuit, ſive tertio tempore, quando fuit diſpenſatio ab executore conceſſa, ſive quarto tempore poſt talem diſpenſationem conceſſam, antequam ta nen actu matrimonium contraheret, evaſerit dives, non poteſt matrimonium contrahere.

Non deſunt tamen Doctores, Tamb. *cit.* Buſemb. *lib. 1. tract. 2. cap. 5. dub. 5.* Diana, Suarez, & alii apud ipſum, qui tenent, quod quando agitur de re individua, & quæ non habet tractum ſucceſſivum, ſed conſumitur in unico actu, & eſt permanens, ut eſt contractus matrimonii, quod diſpenſatio non ceſſet, ſi cauſa ceſſet poſt diſpenſationem ab ipſo executore expeditam, antequam perficiatur contractus; hac moti ratione, quia diſpenſatio jam fuit expedita, & cum diſpenſatio ſit relaxatio juris, per diſpenſationem jam fuit extincta obligatio legis, obligatio autem legis ſemel extincta non reviviſcit, & quod deſtructum eſt, non reproducitur, niſi ab eo, qui producere poteſt: Unde concludunt, quod dicta mulier, quæ poſt diſpenſationem ab ipſo executore conceſſam evaſit dives, quatenus acquiſivit dotem, aut hæreditatem, adhuc poſſit matrimonium, ſuper quo fuit diſpenſata, contrahere. Sed hæc ratio ſoluta manet per rationem noſtræ reſolutionis.

4224 Dico 4. Si cauſa ceſſet, quando jam eſt matrimonium contractum, non ceſſat diſpenſatio: eſt communis. Ratio eſt: quia matrimonio jam contracto, diſpenſatio eſt jam redacta ad actum irrevocabilem: diſpenſatio autem jam redacta ad actum irrevocabilem, ceſſante cauſa, non ceſſat; adeoque ceſſante cauſa, matrimonio jam contracto, diſpenſatio non ceſſat. Confirmatur, quia ex una parte matrimonium fuit valide contractum, nam cauſa (ut ſupponitur) non ceſſavit ante, ſed poſt: Ex alia contractus matrimonii eſt res individua, non habens tractum ſucceſſivum; ſed conſumitur unico actu, & eſt permanens.

Eadem ratione, ſi poſt beneficium per diſpenſationem obtentum ceſſet cauſa, ob quam fuit diſpenſatum, non ceſſat diſpenſatio, nec beneficium.

Ex quo habes, quod quando diſpenſatio eſt de re dividua, & quæ habet tractum ſucceſſivum, ſi cauſa ceſſet poſt actum, ſuper quo eſt diſpenſatum, ceſſat diſpenſatio impoſterum pro reliquis actibus. Hinc qui eſt diſpenſatus ob dubiam infirmitatem ad carnes, ceſſante infirmitate, tenetur a carnibus abſtinere: Et qui ob dubiam oculorum infirmitatem, aut dubium capitis dolorem, diſpenſatus eſt ab onere recitandi horas, cauſa ceſſante, tenetur ad illas; quia agitur de re dividua, habente tractum ſucceſſivum: *vid. num. 455.*

4225 Diſpenſatio matrimonii, ſeu facultas diſpenſandi, non ceſſat per mortem Pontificis, tam ſi res non eſt integra, ſed incœpta, *cap. Gratum, cap. Relatum, de Offic. deleg.* quam ſi eſt integra, videlicet quatenus diſpenſatio non eſt incœpta; quia diſpenſatio eſt gratia, quæ non expirat morte concedentis. A qua regula in jure duo tantum excipiuntur caſus, nimirum in materia beneficii, & in reſcriptis juſtitiæ, in quibus re integra moriente delegante, delegatus non poteſt procedere, *cap. ſi cui, de Præbend. in 6. & in locis citat.* Clericatus *cap. 150. num. 3.*

4226 Si delegatus moriatur, antequam diſpenſationem expediat, ſi gratia erit realis, commiſſa videlicet non perſonæ, ſed officio, v. gr. Epiſcopo, expediri poteſt a ſucceſſore; minime, ſi erat perſonalis; ſed tunc, ſi actus diſpenſationis eſſet completus, & ſolum non dediſſet litteras teſtimoniales, poſſent Oratores in foro conſcientiæ diſpenſatione frui. Clericatus *citat.* cum Tambur. *v. n. 4209.*

Denique non ceſſat diſpenſatio per non uſum, v. gr. octo, aut decem annorum, etiam ſi orator dixiſſet, ſe nolle ea uti, nec eam ratam habere; ſed ut ceſſaret, requireretur, ut oratores renunciarent, & renunciatio ſit acceptata a Pontifice. Clericatus *cit.* cum Tamb.

SUMMUS PONTIFEX

4227 DIſpenſare poteſt in impedimentis jure ſolum Eccleſiaſtico dirimentibus: etiam in voto ſolemni caſtitatis, & Religionis, ex graviſſima cauſa: ſic Alexand. III. diſpenſavit cum Nicolao Juſtiniano Monacho ad nubendum, & Cœleſtinus diſpenſavit cum Conſtantia Moniali profeſſa filia Rogerii Siciliæ Regis, ut nuberet Henrico Sexto Regi; *vid. num. 4252.*

EPISCOPUS

4228 POteſt diſpenſare in impedimentis ex jure Canonico dirimentibus, quatuor conditionibus concurrentibus, videlicet

(Dummodo, 1. Matrimonium ſit jam bona fide contractum, 2. Matrimonium ſit publicum, & impedimentum occultum, & ſeparatio ſine magno ſcandalo, infamia, aut damno fieri non valeat, 3. Pontifex adiri non poſſit, 4. Et periculum ſit in mora. Fagnanus *lib. 1. cap. Nimis, cit. de filiis Presbyt.* Hæc eſt communis ſententia, cui adhæreo.

Ratio primæ: quia ſi matrimonium ſit cum ſcientia impedimenti contractum, diſpenſare non poteſt; nam ſicut Papa ex Conc. Trident. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 5.* excludit a ſpe diſpenſationis ab ipſo obtinendæ eos, qui intra gradus prohibitos præſumpſerint ſcienter contrahere, & maxime ſi conſummare auſi fuerint; ſic potiori jure prohibet Epiſcopis tunc diſpenſare.

Ratio ſecundæ: quia ſi matrimonium eſſet occultum, & impedimentum publicum, potius eſſet ſcandalum, ſi conjuges permanerent in copula fornicaria.

Ratio tertiæ, & quartæ: quia ſi caſus pateretur dilationem, & poſſet fieri recurſus ad Papam, ceſſaret neceſſitas recurrendi pro diſpenſatione ad Epiſcopum.

4229 Nec paupertas ſufficit ad excuſandum recurſum

ſum ad Papam, quia pro impetratione diſpenſationis non eſt neceſſarius acceſſus perſonalis Romam. Imo pro impedimentis occultis facilis eſt recurſus (maxime in noſtris Regionibus Romæ propinquis) ad S. Pœnitentiariam per publicum tabellarium, & ab ea obtinetur diſpenſatio gratis, etiam pro ſcriptura; pro qua te aptam inſtructionem habes *num.* 157.

Item pro impedimentis publicis fit recurſus ad Datariam, quæ, legitima urgente cauſa, etiam pauperibus accedere non valentibus diſpenſare ſolet per literas.

4230 Ratio, qua *præmiſſis* concurrentibus conditionibus poſſit Epiſcopus diſpenſare, fundatur primo in conſuetudine, quam habent Epiſcopi ſuper iis diſpenſandi; conſuetudo enim dat juriſdictionem, *ex cap. cum contingat, de foro compet. cap. Romana de ſent. excomm. in 6. &c. Ut litigantes, de Officio Ordinarii, &c. Dudum, §. licet, de electione: v. a num.* 3274. *ad* 3281.

Secundo in epikeja, qua prudenter præſumitur de benignitate Summi Pontificis, quod non velit diſpenſationem ſibi reſervare in caſu tantæ neceſſitatis, & cum tanto animarum periculo.

4231 Refert Fagnanus *cit.* ſententiam Baſilii Pontii *de matr. lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 6. quam plures moderni ſequuntur, quod poſſit Epiſcopus in matrimonio etiam contrahendo diſpenſare in articulo mortis ad legitimandam prolem, etiamſi impedimentum ſit publicum.

4232 At rite eam rejicit; quia commodum privatum prolis, & mulieris, non eſt cauſa ſufficiens, & urgens, ut inferior diſpenſare poſſit in impedimentis Summo Pontifici per Canones Concilii generalis reſervatis, maxime ante matrimonium contrahendum.

4233 Si autem Princeps bona fide jam matrimonium contraxiſſet in gradu prohibito, aut alio impedimento jure Canonico dirimenti, & alter conjugum conſtitutus eſſet in periculo mortis; ac inſuper, niſi proles ſuſcepta per ſubſequens matrimonium validum legitimaretur, infidelis, aut tyrannus in Regno ſuccederet; tunc (ait Fagnanus) rite poſſet Epiſcopus in impedimento diſpenſare, & matrimonium validare, ne ſalus Regni periclitaretur.

4234 Tunc igitur poteſt Epiſcopus contra Canones etiam Concilii Generalis diſpenſare, quoties magna urget cauſa, & tales circumſtantiæ adſunt, ut prudenter præſumat, conditorem Canonis de caſu illo non cogitaſſe, & ſi cogitaſſet, in prohibitione comprehendere noluiſſet; tunc enim locum habet epikeja, quia non decet præſumi conditorem Canonis fuiſſe crudelem, *cap.* 3. *de Poſtul. cap. licet, de Regul. cap. ſi quis recte, & in cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum, n.* 4. *verb. Quid enim ſi tota Chriſtianitas, vel etiam aliqua pars ejus eſſet in periculo?*

4235 Quapropter Cardenas *differt.* 2. *cap.* 8. *art.* 13. *q.* 1. ſubdit, hanc ſententiam eſſe moraliter certam, utpote ortam ex duabus præmiſſis certis, quod conſuetudo det juriſdictionem, & quod Epiſcopi conſuetudinem habeant in recenſitis caſibus diſpenſandi.

4236 Idem tamen tenent, non ſolum in impedimento occulto, ſed etiam in publico, & pro foro externo, tam poſt contractum matrimonium, quam ante, in caſu rariſſimo urgentiſſimæ neceſſitatis, in periculo magni damni, & ſi periculum ſit in mora, Tamb. *cit.* Diana *part.* 11. *tract.* 8. *reſol.* 3. *verb. ſed obſerv.* Leander *de matr. diſp.* 24. *q.* 9. Tancredi *tom.* 4. *tract.* 2. *qu.* 78. Caſum adducunt de Titio, qui poſtquam contraxit ſponſalia cum Berta, habuit rem cum illa; inſuper factus eſt illi affinis, eo quia habuit rem cum ejus ſorore: deinde conſtitutus in proximo & vero periculo mortis urgetur ad matrimonium contrahendum cum Berta, ut ſic reſarciatur honor puellæ, & proles forte ſuſcepta legitimetur, vel ut ſic graves diſcordiæ ſedentur.

4237 Idem docent in ſimilibus caſibus, in quibus ex mora nubendi immineat periculum manifeſtationis delicti, & inde ſimul mortis.

4238 Inſuper Cardenas *cit.* tenet, poſſe Epiſcopum diſpenſare etiam ante contractum, ſi eadem incommoda ſequantur ante contractum quæ poſt contractum; & concludit his verbis:

(Cum ergo tot ſint Auctores de ea conſuetudine conteſtantes, conſtat, talem conſuetudinem eſſe plene probatam, atque adeo moraliter certam. Et cum certum ſit, quod conſuetudo det juriſdictionem, relinquitur certum, quod Epiſcopus habet juriſdictionem ad diſpenſandum in tali caſu urgentiſſimæ neceſſitatis pro ſalute animarum. Unde conſequenter fit, quod qui in tali caſu ineunt Matrimonium cum tali Epiſcopi diſpenſatione, non eligunt opinionem probabilem, relicta tutiori, ſed ſententiam moraliter certam, atque adeo non opponuntur huic Decreto Innocentii XI. Et licet verum ſit, quod aliqui ex his Auctoribus conteſtantibus de tali conſuetudine, loquantur de diſpenſatione poſt contractum Matrimonium; ea tamen diſpenſatio eſt ad illud contrahendum, quia quamvis tale Matrimonium dicatur contractum, revera eſt contrahendum, quia Matrimonium invalidum propter impedimentum dirimens debet denuo contrahi, ut ſubſiſtat; & ſi eadem urgentia neceſſitatis contingat in contrahendo, eadem eſt ratio ad diſpenſandum.)

Si impedimentum ſit dubium, & non poſſit per diligentias vinci, poſſe Epiſcopum declarare, quod non ſit opus diſpenſatione, tenet Clericat. *cap.* 135. *n.* 9. cum Tambur. & aliis, quia præſumptio ſtat pro libertate. Non poteſt autem diſpenſare, ſi dubium ſit de juſtitia cauſæ diſpenſandi; quia tunc præſumptio ſtat pro impedimento, quod ſupponitur certum: *v. a num.* 4295. *ad* 4298.

QUÆRES

4239 *Petrus eſt in ſecundo gradu conſanguinitatis conjunctus cum Roſa, quam deſloravit. Urget periculum vitæ utriuſque, ni matrimonio copulentur, & honor puellæ matrimonio recuperandus: Petrus eſt graviter infirmus, ut non poſſit Romam accedere: inſuper dictis expoſitis motivis petita fuit per literas diſpenſatio a Summo Pontifice, qui eam denegavit, quatenus ſunt perſonæ infimæ conditionis, & periculo vitæ utriuſque occurri poteſt auctoritate Principis, cujus ſunt Vaſſalli, qui eſt facti conſcius. An his ſuppoſitis poſſit Epiſcopus diſpenſare?*

Reſp. Non poſſe. Non quidem ex conſuetudine; quia hæc eſt ſolum quoad matrimonium contractum, non contrahendum, & in impedimento occulto, non publico: niſi in caſu publicæ, non privatæ neceſſitatis, cui non poteſt aliter provideri.

Nec dicas, conſuetudinem extendi ad contrahendum per paritatem rationis. 1. Quia conſuetudo inducitur ex actibus frequentatis, & praxi, minime ex ſola paritate rationis. 2. Quia falſum eſt, quod ſit par ratio; nam licet matrimonium cum impedimento contractum ſit invalidum, & inde poſt diſpenſationem contrahendum; urgentiores tamen militant cauſæ ad diſpenſandum poſt matrimonium, licet invalide contractum; quoniam ſupponitur cohabitatio conjugum, & dubium prolis, &c. & major difficultas ad eos ſeparandos.

4240 Nec ex epikeja; quia epikeja eſt fundata in præſumptione rationabili de benignitate Summi Pontificis, quæ non poteſt in caſu præſumi, cum conſtet de expreſſa voluntate contraria, etiam circumſtantiis omnibus expoſitis.

Tum quia talis epikeja in caſu non habet locum, quia agitur de neceſſitate privata duorum plebejorum, minime de publica: nec ſumus in caſu de articulo mortis, de quo ſolum loquitur Pontius, qui affirmativam ſententiam tenet.

Item: quia periculo dicto privato poteſt occurri per auctoritatem Principis, qui mulierem in tuto loco conſervet, & cognatos terreat, &c.

4241 Inſuper epikeja non habet locum, quia illi reſiſtit Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *de reform.* quod vult, ut in ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam. Reſiſtunt etiam Sacri Canones, & Concilia Generalia, quæ cum ſint edita quoad bonum publicum, non eſt in eis diſpenſandum ob bonum privatum.

COMMISSARIUS BULLÆ CRUCIATÆ

4242 Ex facultate a Summo Pontifice ipſi conceſſa poteſt in foro conſcientiæ dumtaxat diſpenſare in impedimento affinitatis contracto ante matrimonium, dummodo ſit occultum, & alter conjugum bona fide, & ignarus impedimenti contraxerit; & quod de nullitate prioris conſenſus prius certificati, tacitaque (ſi videbitur ad evitanda ſcandala) cauſa nullitatis, matrimonium inter ſe, etiam ſecrete, de novo contrahere poſſint, prolemque ſuſceptam & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo. Hæc Bulla.

4243 Pro qua diſpenſatione danda eſt aliqua eleemoſyna in ſubſidium Cruciatæ, juxta qualitatem perſonæ. Tambur. *lib.* 8. *de matrim. tractat.* 2. *cap.* 5. qui *numer.* 15. refert praxim D. Franciſci Salerno Commiſſarii Sede vacante, qui diſpenſationem cuidam pauperi conceſſit, cum onere dandi tarenos ſex, qui ſunt Julii fere quinque, in ſubſidium Cruciatæ. Addens, quod potuiſſet minus, ſi diſpenſandus pauperior fuiſſet.

4244 Et quia hæc diſpenſatio conceditur in foro conſcientiæ tantum, ſequitur, quod ſi poſtea impedimentum publicetur, tunc petenda eſt a Pontifice diſpenſationis ratificatio, & interim pro foro externo ſunt conjuges ſeparandi; quod eſt ſervandum, quoties eſt in quolibet alio impedimento occulto in foro conſcientiæ diſpenſatum, ſi poſtea promulgetur. Eo autem tempore publicitatis, ſi conjuges rem habeant, non peccant peccato fornicationis, quia ſunt vere conjuges; ſed peccato ſcandali, ſi adſit.

Denique poteſt Commiſſarius Cruciatæ diſpenſare ad petendum debitum: *v. num.* 4302.

CAPUT VII.

De Matrimonio invalido revalidando.

4245 Si Matrimonium fuit invalidum ex defectu conſenſus, vel ratione metus; ſi defectus fuit ex una tantum parte, altera inſcia, ſufficit, quod illa tantum conſenſum renovet ſignis externis, abſque eo quod conjugi inſciæ manifeſtetur, ad matrimonium revalidandum: quia conſenſus illius non ſolum habitualiter, ſed etiam moraliter, & virtute permanet, quoniam uſus matrimonii exercetur virtute illius conſenſus ſemel præſtiti, & non jam (ut ſupponimus) retractati. Tamb. *lib.* 8. *de matrim. tract.* 4. *cap.* 7. §. 1. *n.* 5. ex D. Thoma, & aliis quamplurimis apud ipſum.

4246 Si defectus fuit ex parte utriuſque, utraque debet novum conſenſum præſtare. Renovari autem debet per verba de præſenti, hoc modo: dicat vir, *Angor ſcrupulis de noſtri matrimonii valore, ideo ſi aliquis defectus fuerit, iterum duco te in uxorem.* Vel interrogare poterit; *me diligis?* illa reſpondeat; *utique:* tunc ſubjungat: *angor ſcrupulis, &c. ideo ſi aliquis defectus fuerit, vis ex nunc me in maritum?* illa reſpondeat; *volo:* tunc & ipſe: *etiam ego te volo in uxorem*, & maxime ſi copula affectu maritali ſequatur: *v. n.* 3950. *&* 4025.

4247 Si fuit invalidum ob aliquod impedimentum Juris Eccleſiaſtici, v. gr. cognationis, affinitatis, &c. tunc impedimento prius per diſpenſationem ſublato; renovent ex utraque parte conſenſum.

Et tunc pars ignara debet prius certiorari de nullitate, ſaltem in genere; quia conſenſus fuit ex utraque parte illegitimus, & cum ignorantia circa ſubſtantiam, quæque dedit cauſam contractui. Scotus *in* 4. *diſt.* 30. *q.* 1. *lit. I. & A.* Villal. & alii apud Cardenas *diſp.* 2. *n.* 671. Accedit Praxis S. Pœnitentiariæ, ubi in formula liter. ejus dicitur: *ut dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita caute ut latoris delictum nuſquam detegatur, matrimonium cum eadem, & utroque inter ſe de novo, ſecrete ad evitanda ſcandala, contrahere, &c. diſpenſes.*

4248 Ex quo tria colliges, 1. Quod conjux ignara certiorari prius debeat de nullitate, 2. Quod ſufficiat certioratio nullitatis in genere, non in ſpecie. 3. Non eſſe opus, ut talis revalidatio fiat coram Parocho, & teſtibus ſi impedimentum ſit occultum; bene vero ſi publicum; quia cum matrimonium fuerit publice contractum (licet invalide) in facie Eccleſiæ coram Parocho, & teſtibus, ceſſant inconvenientia, ob quæ Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 1. præſentiam Parochi & teſtium præſcripſit. Tamb. *cit.* §. 3. qui ultra quamplures Doctores refert ſic declaraſſe S. Pium V. Sacram Congr. Card. & Rotam Rom. Quibus accedit praxis.

4249 Plures graves Doctores apud Cardenas *cit. n.* 670. tenent, non requiri talem certiorationem; ſed ſufficere, ut ſola pars conſcia impedimenti conſenſum renovet. At Cardenas *cit. a n.* 675. & Buſemb. *l.* 6. *tract.* 6 *c.* 3. *dub.* 3. docent, hanc ſententiam, utpote minus tutam, & tenuis probabilitatis, non eſſe practicandam, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, puta ſi pars conſcia prudenter timeat aliam partem diſſenſuram, & inde oriri graviſſima mala ſibi, aut proli, inimicitias, ſcandala, & mortem. Vel ſi fœmina affinitatem contraxit cum viro, eo quia prius rem habuerat cum illius fratre: & ſi id revelet, timet mortem, aut perpetuam inimicitiam; quæ mala non poſſunt aliter evitari, quam omittendo hujuſmodi certiorationem. Ita illi.

Addit Cardenas *n.* 676. quod in hoc 2. caſu conjux conſcia poterit ignoranti dicere, *Se non habuiſſe conſenſum;* & quidem non mentitur, quia conſenſus ratione impedimenti fuit nullus: *v. a n.* 3618.

CAPUT VIII.

De indiſſolubilitate Matrimonii.

4250 Matrimonium tam fidelium, quam infidelium, eſt indiſſolubile, & perpetuum, etiam jure naturæ, & divino; quia ordinatur ad tria bona Matrimonii, quæ de jure naturæ perpetuitatem important; *v. n.* 3959. Unde Chriſtus ait Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et Paulus ad 1. Corinth. 7. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit: v. n.* 4112.

4251 Matrimonium baptizatorum conſummatum, in nullo caſu diſſolvi poteſt quoad vinculum. Eſt de fide ex Concil. Florent. *in decr. de* Sacr. ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 7. *v. a n.* 4951.

MATRIMONIUM RATUM

4252 Sed non conſummatum baptizatorum diſſolvi poteſt quoad vinculum. Primo a Papa per poteſtatem extraordinariam a Chriſto ei traditam quoad ea, quæ ſunt neceſſaria bono Eccleſiæ regimini; ſicut diſpenſare poteſt ex graviſſima cauſa in voto ſolemni, quod eſt plus.

Hinc in Matrimonio rato diſpenſaverunt Greg. VII. Martinus V. Eug. IV. & S. Pius V. quos refert Arſdekin *tom.* 2. *pag.* 129. Del Bene *part.* 2. *de inquiſ. dub.* 336. *ſect.* 66. *num.* 20. *vide num.* 4178.

4253 Secundo diſſolvitur quoad vinculum per ſolemnem profeſſionem Religioſam. Eſt de fide ex Trident. *ſeſſ.* 25. *Can.* 6. Idque jure Eccleſiaſtico, ut dictum eſt *a num.* 4062. & tunc poſt unius profeſſionem liberum eſt alteri conjugi ad alias nuptias tranſire.

Hic comprehenditur profeſſio in ordine Militari S. Joannis, minime in aliis Ordinibus Militaribus S. Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ; quia horum profeſſio, licet ſit ſolemnis, eſt compoſſibilis cum Matrimonio, cum voveant caſtitatem ſolum conjugalem.

4254 Neque hic comprehenditur profeſſio per vota biennii in Societate Jeſu: quia Trid. declarat, hoc privilegium dirimendi matrimonium ratum antea contractum, eſſe a Chriſto conceſſum profeſſioni Religioſæ ſolemni, hoc eſt ſub votis ſolemnibus; profeſſio vero in Societate eſt Religioſa, ſed non ſolemnis, quia fit ſub votis ſimplicibus; unde ſolum habent dirimere matrimonium contrahendum, videlicet illis ſuperveniens; idque ex ſpeciali privilegio, & Declar. Gregorii XIII. per Bullam *Aſcendente Domino*: at non matrimonium ratum ante illa contractum. Tamburin. *tom.* 2. *lib.* 8. *tract.* 5. *cap.* 6. §. 2. *num.* 10. cum Doctoribus Societatis contra Pontium *lib.* 9. *cap.* 6.

4255 Pro majori claritate ſcito, Eccleſiam *cap. Publico* 7. *de Converſ. Conjug.* poſt matrimonium ratum non conſummatum concedere conjugibus bimeſtre ad deliberandum de meliori ſtatu, videlicet de ingreſſu Religionis, ita ut intra bimeſtre poſſit unus conjugum, etiam altero invito, ad Religionem tranſire, ſi matrimonium non conſummavit.

Et tunc conjux ſuperſtes, ut ad alias nuptas tranſeat, expectare debet profeſſionem illius; ita ut ſi ſponſa ætatis duodecim annorum poſt matrimonium ratum ſit Religionem ingreſſa, conjux ſuperſtes expectare deberet per quatuor annos, cum non poſſit ſponſa ante annum 16. expletum ex Trident. validam profeſſionem emittere; & tunc matrimonium ratum diſſolvitur quoad vinculum.

4256 Elapſo autem bimeſtre conjux tenetur ſub mortali reddere debitum; quia tunc incipit jus ad petendum; unde peccat, ſi petenti neget: *v. num.* 1404. At eſt ei liberum Religionem ingredi, & in ea profiteri, etiam ſi plures anni in matrimonio rato præceſſerint, ob privilegium Religionis de diſſolvendo matrimonio rato, ut dictum eſt ex Trident.

4257 Quod Privilegium eſt divinum, acceptum ab Apoſtolis, & in Eccleſia per traditionem retentum ad favorem majoris perfectionis.

4258 At non conceditur Ordini Sacro, unde Matrimonium ratum non diſſolvitur per Ordinem Sacrum ſupervenientem, ut eſt definitum a Joann. 22. in Extrav. Nec per Epiſcopatum; adeoque ſic contra voluntatem uxoris ordinatus, juſte poteſt ab ea revocari, ad quemcumque gradum evectus, & ille tenetur vel Religionem ingredi, & in ea profiteri, vel ad uxorem redire, reddendo, & non petendo debitum, ob votum caſtitatis, quod quoad partem petendi uxori non præjudicavit, & ſervari poteſt.

4259 Bimeſtre computari debet a puncto rati matrimonii, ad punctum, quo finit.

4260 Quo finito, ſi conjux prætextu ingreſſus Religionis cohabitationem, aut redditionem debiti differat, tunc poteſt a Judice Eccleſiaſtico, circumſtantiis conſideratis, aſſignato rationabili, ac peremptorio termino, & cautione exacta, compelli etiam per cenſuras Religionem ingredi, aut cum altero conjuge matrimonialiter cohabitare.

4261 Si vir intra bimeſtre ad deliberandum conceſſum, violentet, aut metu cadente in virum conſtantem, uxorem cognoſcat, non poteſt amplius ipſe, bene vero ſponſa Religionem ingredi, quia dolus & culpa ſponſi non poteſt præjudicare ſponſæ, niſi ex tali concubitu ſuſcepta ſit proles, & non ſit alia perſona, quæ eam commode educare poſſit; tunc namque ſponſa per accidens impeditur a Religionis ingreſſu.

4262. Quo impedimento accidentali ſecluſo, etiam ſi ſponſa profeſſionem emiſerit, non poteſt conjux, qui eam coegit, ad ſecundas nuptias tranſire, quia licet coacte, vere matrimonium conſummavit: *v. a n.* 4251.

4263 Si vero conjux eam renitentem vi cognovit poſt bimeſtre, non poteſt ſponſa Religionem ingredi, quia elapſo bimeſtri tenebatur ex juſtitia reddere, & ſponſus cogendo uſus eſt jure ſuo, unde matrimonium fuit juſte conſummatum, Pithing. *lib.* 3. *decr. tit.* 36. *de converſ. conjug.*

CAPUT IX.

De impedimento actus conjugalis ex voto.

4264 Qui poſt votum non nubendi matrimonium contrahit, peccat nubendo; at poſtquam nupſit, poteſt petere, & reddere; quia voto non nubendi opponitur contrahere, minime conſummare, & matrimonio contracto jam eſt factus impotens ad votum.

4265 Qui vovit Religionem, aut ſuſcipere Ordinem Sacrum, non tenetur ad caſtitatem, antequam profeſſionem emittat, aut Ordinem ſuſcipiat; quia non proinde votum caſtitatis emiſit.

4266 Diſcrimen autem inter hæc duo vota, Religionis, & Ordinis Sacri, conſiſtit in hoc, quod qui vovit Religionem, ſi nubat, peccat nubendo, & prima vice conſummando, ſive petendo, ſive reddendo; peccat quidem nubendo, quia tranſgreditur votum Religionis cum nuptiis incompoſſibile; peccat prima vice conſummando, quia eſt ei liberum Religionem ingredi, & ad id ante conſummationem tenetur, cum profeſſio Religioſa matrimonium ratum diſſolvat.

At matrimonio prima vice, etiam intra bimeſtre, conſummato, poteſt petere debitum; quia haud amplius eſt impeditus, non voto caſtitatis, quia votum Religionis non eſt votum caſtitatis; nec voto Religionis, quia matrimonio ſemel conſummato non poteſt Religionem ingredi, niſi in caſu adulterii, & tunc petere non poſſet, nec reddere, ſed teneretur votum implere per ingreſſum Religionis, ad quem etiam tenetur mortua uxore. Unde in caſu adulterii, prima vice petendo, aut reddendo peccaret, non poſtea: quia per remiſſionem factam amiſit jus ad Religionis ingreſſum, vivente uxore.

4267 De eo, qui vovit ſuſcipere Ordines Sacros, eodem modo diſcurrunt Rodr. & Ledeſma, volentes, quod antequam conſummet, teneatur ingredi Religionem, ad ibi ſuſcipiendos Ordines, & ſic peccet conſummando.

Ad oppoſitum dico cum Leandro *de matrimon. tract.* 11. *diſp.* 25. *quæſt.* 70. Anton. a Spir. S. *de matrim. tract.* 11. *diſp.* 9. *ſeſſ.* 7. *& aliis*. Rigidum enim mihi videtur, eum qui vovit Ordines Sacros obligare ultra intentionem ad ſtatum tam difficilem, qualis eſt ſtatus Religionis, & contra regulas generales Juramenti, & Voti, *a n.* 1669.

Hic igitur peccat ſolum nubendo, non conſummando, etiam petendo: quia nubendo factus eſt impotens ad votum implendum; nam Ordo Sacer non diſſolvit matrimonium ratum antea contractum.

In caſu autem, quod alter conjux adulterium committat, tunc tenetur implere votum ſuſcipiendi Ordines Sacros, nec poteſt ulterius petere, aut reddere; quia cum adulter amiſerit jus ad petendum, eſt ei liberum non petere, nec reddere, & ſic votum implere.

4268 Qui vovit caſtitatem, ſi nubat, peccat: item peccat prima vice conſummando, etiam reddendo intra bimeſtre; quia intra bimeſtre, & matrimonio non

jam conſummato, cum alter conjux non habeat jus petendi, poteſt negare, ſi velit Religionem ingredi.

Matrimonio tamen jam conſummato, aut bimeſtre elapſo, poteſt reddere; quia alter conjux habet jus ad petendum, & ipſe non tenetur Religionem ingredi; imo poſt conſummationem non poteſt; petere autem numquam poteſt, nec intra, nec poſt bimeſtre. Trullench. *in Decal. cap.* 2. *lib.* 2. *d.* 25. *num.* 4. (Excipe, niſi petat ob periculum incontinentiæ, quod prævidet in altero conjuge, vel quando non in gratiam ſui, ſed alterius conjugis, quæ præ verecundia non petit: hoc enim non eſt proprie petere, ſed reddere.) Ita Trullench. *citat. n.* 3. Anton. a Spir. Sanct. *de matrim. tract.* 11. *diſp.* 9. *ſect.* 3. *cum aliis*. Ratio eſt, quia votum ſimplex caſtitatis non dirimit, ſed impedit matrimonium; unde qui cum eo contrahit, tenetur illud ſervare quoad partem, quam poteſt, quæ ſibi libera eſt; adeoque non poteſt petere, quia hoc eſt ſibi liberum: at tenetur reddere, quod non eſt ſibi liberum, cum ſpectet ad jus alterius conjugis, cui præjudicare non poteſt.

4269 Qui caſtitatem vovit, non tenetur (licet ſit ei liberum) Religionem ingredi ante conſummationem, etiam intra bimeſtre, ob dicta *num.* 4267. Et oſtenditur a fortiori ex Extravag. Joann. 22. *Antiquæ, De voto*: ubi definit Pontifex, ut qui poſt matrimonium non conſummatum promotus eſt ad Ordines Sacros, moneatur ad Religionis ingreſſum: ſi vero renuerit, & ſponſa inſtiterit, compellatur per cenſuram ad conſummandum matrimonium contractum.

4270 Pariter conjux, qui poſt matrimonium votum caſtitatis etiam ſine alterius conſenſu emiſit, non poteſt petere, ſed tenetur reddere.

4271 Uterque, qui ſcilicet votum caſtitatis emiſit ante, aut poſt matrimonium, in caſu adulterii alterius conjugis, nec poteſt petere, nec reddere, quia tunc utraque pars eſt ei libera, niſi remittit, aut ſimile delictum committat. Remittendo autem peccat, quia fit impotens ad implendum votum; at poſt remiſſionem non peccat reddendo, quia jam conjux delinquens eſt reſtituta in ſuo jure petendi, & mortua uxore, tenetur ad votum, ita ut iterum peccet, ſi nubat, uti ſupra.

4272 Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 35. *num.* 28. affirmat, eum, qui poſt matrimonium votum caſtitatis emiſit, poſſe reddere in caſu adulterii, & mortua uxore nubere; quia votum caſtitatis, quoad partem reddendi, fuit nullum.

At rectius cum Leandro *cit. q.* 75. dico hoc eſſe verum de voto non petendi, quod quidem eſt compoſſibile cum matrimonio; at votum caſtitatis utramque partem comprehendit, & in caſu petitionem ſemper, redditionem vero, quando jus alterius conjugis fuerit impeditum, cujuſmodi eſt in caſu adulterii, aut mortis illius. Unde tunc votum caſtitatis, quoad partem reddendi, eſt nullum, pro quando alter conjux habet jus petendi; eſt validum, pro quando illud amittit.

CAPUT X.

De Divortio.

4273 Divortium *eſt ſeparatio conjugum quoad thorum, & habitationem, conjugii vinculo permanente.*

4274 Eſt duplex, perpetuum, & ad tempus. Perpetuum fit cauſa adulterii, *cap. Gaudemus, & cap. Ex litteris, de divortiis*. Ad tempus eſt, quod fit ob alias cauſas, de quibus modo.

4275 Divortium perpetuum a divortio ad tempus differt per hoc, quod in divortio perpetuo poteſt conjux innocens, ſi velit, caſtitatem in ſæculo vovere, Ordines Sacros ſuſcipere, aut in Religione profiteri, permanente ſemper vinculo matrimonii, quod quidem, ſi eſt conſummatum, in nullo caſu diſſolvitur, ex *num.* 4151. Ea autem fieri non poſſunt in divortio ad tempus.

Divortium fieri non poteſt auctoritate privata, ſed fieri debet auctoritate Judicis Eccleſiaſtici, cauſa probata.

4276 In caſu adulterii, ſi ſit publicum, Pontius *lib.* 9. *de matrim. cap.* 18. Fenech. *de divortiis*, Riccius, & alii contra Sanchez tenent fieri poſſe propria auctoritate. At rectius Clericatus *cap.* 146. *num.* 10. docet, Doctores affirmantes eſſe intelligendos de foro interno, minime de externo.

4277 Divortium perpetuum eſt permiſſum ob adulterium jure divino, Matth. *Quicumque dimiſerit uxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.*

4278 Nomine adulterii ad divortium venit quævis copula, naturalis, ſodomitica, aut beſtialis; quia per quamlibet ex his conjux dividit ſuam carnem contra fidem alteri conjugi in Sacramento datam. Non veniunt tactus, oſcula, pollutio, aut copula cum fœmina mortua. Tamb. *lib.* 8. *de matrim. tract.* 7. *c.* 3. & Clericatus *citat.*

4279 Hinc libertas divortii eſt conceſſa conjugi innocenti, minime conjugi adultero, qui tenetur conjugi innocenti adhærere, ſi hic nolit divortium, & ille ſit certus, nullum ſibi periculum imminere. Clericatus *citat.*

4280 Adulterium conſtare debet per probationes, aut violentas præſumptiones, puta ſi ſit teſtis ad viſum, ſi adulter ſit repertus in lecto cum adultera, nudus in cubili, ſi adſint filii, ſi moretur in domo adulteræ, & alia, quæ de jure probant: *v. num.* 2784.

4281 Quinque autem dantur caſus, quibus non obſtante adulterio, non poteſt ad divortium deveniri. Quos refert Clericatus *cit. num.* 7. ex Pontio, Sanchez & Tambur.

1. Si uterque conjux adulterium commiſit, etiam ſi unum ſit occultum, alterum publicum, & etiam poſt divortium conjux innocens adulteretur: quia delicta compenſantur. 2. Si unus conjugum adulterium committat altero conſentiente directe, aut indirecte, uxorem male tractando, a ſe expellendo, &c. 3. Si adulterium ſit commiſſum per vim, & metum gravem, quem non potuit repellere, *v. n.* 2094.

4. Si conjux innocens remittat culpam adulterii expreſſe, aut tacite, videlicet recipiendo Reum ad oſcula, aut ad copulam. 5. Si conjux innocens ſciat, ſe continere non poſſe; tunc namque ad vitandum periculum incontinentiæ, & ruinæ ſpiritualis ſuæ animæ non poteſt ab adultero ſeparari: *v. n.* 2150.

4282 Cauſæ divortii ad tempus ſunt triplicis generis, quæ ſcilicet concernunt *periculum fidei*; ut ſi conjux ſit factus hæreticus. Vel *periculum animæ*; ut ſi conjux ad ſodomiam ſolicitet, aut ad peccatum. Vel *periculum corporis*: ut ſi conjugi ſuperveniat lepra, ſeu morbus contagioſus. Si conjux unus alterius vitæ inſidietur, aut ſævitiam exerceat in uxorem.

4283 Si conjux ſit factus hæreticus, poteſt fidelis propria auctoritate ab eo divertere ad vitandum periculum infectionis, Clericatus *cit. n.* 12. ex Sanchez *de matrim. lib.* 10. *diſp.* 15. *n.* 6. Et hæreſis dicitur adulterium ſpirituale.

4284 Solicitatio ad ſodomiam difficulter probatur, nam mulier patiens non poteſt eſſe teſtis ſufficiens, etiam ſi juret. Unde Sperellus apud Clericatum *citat.* monet Judices Eccleſiaſticos, ut mulieres querelam ferentes ſuadeant, ut proprio pudori, ac ſuorum virorum exiſtimationi parcant, & ſic eas dimittant. Probaretur, ſi teſtes eſſent, qui deponerent, ſe ex interjecto pariete audiviſſe preces, aut minas, ac petitiones viri, & negationes mulieris, & inſuper adminicula extarent, maxime duo, nimirum ſi vir ſit ſuper hoc

vitio diffamatus, & mulier ſit pudica, ac timoratæ conſcientiæ. Hæc Sperellus *cit.*

4285 Morbus Gallicus probatur medicorum judicio, & concedit negationem debiti, atque etiam ſeparationem quoad thorum, ſi medicorum judicio adſit periculum; minime quoad cohabitationem.

4286 Sævitia poteſt eſſe triplex, 1. Si vir moderate, & ex cauſa uxorem verberet; & hæc nec dicitur proprie ſævitia, nec ſufficit ad divortium. 2. Si immoderate verberet, ſed poteſt provideri a Judice per cautionem; tunc datur divortium, ſed uxor viro reſtituitur cautione præſtita. 3. Si ſævitia ſit atrox cum timore futuræ offenſionis, & tunc datur divortium.

4287 Judicare, quando ſævitia ſit atrox pendet a prudentis Judicis arbitrio, circumſtantiis perſonæ, loci, modi, &c. conſideratis. Plura aſſignari ſolent ſigna atrocitatis. 1. Si vir ſit ſolitus in uxorem ſævire. 2. Si minatus ſit eam occidere, & ſit ſolitus minas exequi, aut ſit crudelis naturæ. 3. Si capitale odium & inimicitia inter maritum & uxorem intercedat, vel quia unus alterum veneno necare tentavit, vel de gravi crimine accuſavit, ejus carcerationem procurando, vel etiam ſi civilem litem ſuper magna bonorum quantitate agant. 4. Si pluries uxoris caput ad parietem percuſſit. Si in eam cultrum ad vulnerandum jecit. Si eam in cubiculo cum denegatione alimentorum detrudat. In his & ſimilibus caſibus datur ſævitia atrox ad divortium ſufficiens. Hæc Clericatus *cit.* ex Sperello.

4288 Ad hanc ſævitiam probandam ſufficiunt teſtes conſanguinei, affines, & domeſtici; nam hi melius ſcire præſumuntur. Rota *deciſ.* 155. *num.* 49. *part.* 6.

Mulier ſi tacuit, & vir a ſævitia ceſſavit, non poteſt divortium petere; quia per taciturnitatem, & cohabitationem poſt ſævitiam præſumitur injuriam remiſiſſe. Clericatus *citat.* ex Sperello *deciſion.* 139. *numer.* 93.

4289 Maritus non poteſt ad divortium devenire ob dotem non ſolutam. Ita jus Canonicum contra civile, Clericatus *citat.* ex Tamburin. *tract.* 8. *lib.* 5. *capit.* 3.

4290 Effectus divortii, 1. In divortio perpetuo effectus eſt *ut numer.* 4275. 2. Tam in divortio perpetuo, quam ad tempus facto ob culpam, aut ſævitiam, conjux innocens retinet dotem. Imo maritus delinquens tenetur ſolvere uxori alimenta, & expenſas litis. Et filii ſunt alendi ex bonis illius, qui dedit cauſam divortio: in caſu autem hæreſis ſunt educandi apud parentem fidelem, favore fidei.

4291 Divortium fieri poteſt abſque delicto, ex mutuo conſenſu conjugum, quoad thorum propria auctoritate, ut plures Sancti Spiritus ſancti amore ducti fecerunt. Quoad *habitationem* authoritate Ordinarii, qui attendere debet conjugum ætatem, conditionem, & modum vivendi, ne ex illis ſcandalum aut malum aliquod oriatur. Et ipſa ſeparatio quoad thorum intuitu perfectionis, maxime inter juvenes, fieri non debet ſine prævio & maturo prudentum virorum conſilio.

4292 Recenſitus vir uxoratus, ſi licentiam ab uxore habeat ſuſcipiendi Ordines Sacros, non debet ad illos promoveri, niſi prius uxor in Religione profiteatur, vel in ſæculo votum caſtitatis emittat, ex Extravag. *Antiquæ*, de voto. Idem dic, ſi vir ad Cardinalatum ſit promovendus. Si autem de Epiſcopatu agatur, debet uxor in Religione profiteri.

4293 Quod ſi dicta uxor, quæ licentiam dedit, caſtitatem non voverit, & conſilio mutato, ad periculum incontinentiæ vitandum, virum jam ordinatum in ſacris repetat, remanet vir ab Altari ſuſpenſus. Pro quo omnino vide dicta *a n.* 4073.

CAPUT I.

De debito conjugali.

4294 ADulter in pœnam amittit jus ad petendum debitum ex juſtitia: poteſt igitur petere rogando, ſed non cogere; nam tunc alter conjux habet jus ad denegandum, & ideo dicitur adulter amiſiſſe jus, quatenus non poteſt uti debito, invito conjuge, ſicut antea poterat.

Hoc ad differentiam affinitatis, & voti, quibus ſtantibus, nullo modo reus poteſt petere debitum ſine diſpenſatione obtinenda ab Eccleſia.

Pro adulterio tamen pœna remittitur ab ipſo conjuge offenſo, vel verbis, vel per ſigna amoris, vel ex quo adultero petenti, & roganti libere reddat debitum, quia facta remiſſione ſtatim adulter acquirit jus ad petendum ex juſtitia, ita ut conjux non poſſit amplius ex vi prioris adulterii debitum denegare.

Tandem hæc pœna non incurritur neſciente conjuge adulterium.

4295 *Qui eſt certus* de nullitate matrimonii, bona fide contracti, non poteſt petere, nec reddere debitum, etiam ſi compars ignoret; ſed debet petere diſpenſationem, & interim aliqua occaſione deſumpta ſeparari ob periculum fornicationis; quod ſi non habeat locum diſpenſatio, quatenus impedimentum eſt juris naturæ, & non poteſt matrimonium per ſolam renovationem conſenſus revalidari, v. gr. ſi erit impedimentum ligaminis, tunc tenetur fugere.

Si eſt dubius, dubio non ſcrupuloſo, ſed prudenti, non poteſt petere, antequam diligentia facta de veritate, rationabiliter dubium deponat, quia ſe exponit periculo peccandi, tenetur tamen reddere, ob periculum faciendi contra jus alterius, *ex cap. Inquiſitioni tuæ, de ſentent. excom.* ſi autem facta diligentia inveniat motiva vere probabilia pro valore, poteſt etiam debitum petere, quia pro illo ſtat poſſeſſio bonæ fidei.

4296 *Senes*, ſi nulla ſit ſpes aliquando ſeminandi intra vas, nec poſſunt petere, nec reddere, quia intenderent mollitiem ab intrinſeco malam: bene vero, ſi ſit ſpes ſeminandi intra vas, licet ſæpe ſeminent extra: ita Tancredi *tom.* 2. *de matr. lib.* 9. *q.* 3. *pag.* 359. & Buſemb. *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 3. *dub.* 1. *Imped. impot.* quia dant operam rei licitæ, procurando copulam ſibi poſſibilem, & permiſſam: *v. num.* 4316.

4297 *Cauſa matrimonii* eſt favorabilis, *ex cap. fin. de ſentent. & de re judic.* adeoque amplianda: *hinc in quæſtione juris* matrimonium contractum juxta opinionem vere probabilem eſt validum; quod judicium practicum de valore non eſt minus tutum, & probabile, ſed moraliter certum: quia (ut bene ait Cardenas *diſput.* 2. *n.* 562.) cum diſpoſitio juris faciat deciſionem certam, inde eſt, quod Regula 15. de favore ampliando, faciat deciſionem certam de valore matrimonii, utpote materia favorabilis: *v. num.* 67. 111. *&* 113.

4298 Item (ait Cardenas *cit. a num.* 525.) *in quæſtione facti circa valorem matrimonii, v. gr. an ſit factum, vel non, id, ex quo oritur, impedimentum dirimens, quando ex conjecturis utrique probabilibus reſultat parum dubium, ſi hoc eſt vincibile, non licet contrahere, donec vincatur dubium, ut ſtet certitudo practica pro carentia impedimenti: quia exponeretur Sacramentum periculo fruſtrationis. Si dubium eſt omnino invincibile, licet contrahere, quia poſſeſſio ſtat pro libertate contrahendi. Quod ſi in tali dubio ſtet præſumptio aliqua pro exiſtentia impedimenti, & nulla ſit præſumptio pro carentia impedimenti, tunc cum tali dubio non licet contrahere ob periculum fruſtrationis Sacramenti*: ita fere Cardenas *cit. vid. num.* 23.

4299 Conjux tenetur ſub mortali reddere debitum, quando expreſſe, aut tacite, moderate, & ſine peccato petitur, niſi juſta cauſa excuſet; aut niſi conjux requiſitus roget petentem, ut pro ea vice excuſet, & ille libere condeſcendit, dummodo hoc non fiat ſæpe, & cum periculo incontinentiæ petentis.

4300 Licite negare poteſt, ſi inde ſibi timeat grave damnum mortis, infirmitatis, aut prolis, ſi ſit gravida; ſi videat maritum morbo contagioſo, v. gr. lepra, &c. infectum, ebrium, &c. Item ſi uxor ſit menſtruata, aut ſi compars nimis immoderate petat.

4301 Si poſt contractum matrimonium inter conjuges ſuperveniat affinitas, quatenus unus habuit rem cum conſanguinea alterius conjugis uſque ad ſecundum gradum; tunc affinitas non dirimit matrimonium, ſed impedit a petitione debiti, ita ut qui talem copulam habuit, poſſit reddere, ſed non petere ſine mortali; *vid. a n.* 4264.

4302 Maritus, ſi rem habeat cum conſanguinea ſuæ uxoris in tertio, aut quarto gradu, committit inceſtum; quia ratione affinitatis ex copula licita cum uxore, eſt illi affinis uſque ad quartum gradum: at non incurrit pœnam non petendi debitum, quia hæc pœna incurritur ob affinitatem ſupervenientem cum uxore, quæ cum non poſſit eſſe niſi ex copula, non poteſt extendi ultra ſecundum gradum.

Tam in caſu affinitatis matrimonio ſupervenientis, quam in caſu matrimonii cum voto ſimplici caſtitatis celebrati, diſpenſare poſſunt ad petendum debitum Epiſcopi, & ex privilegio Provinciales Regulares, atque de eorum licentia confeſſarii Regulares, qui in caſu voti, monere debent pœnitentes, quod mortua uxore non poſſint licite nubere, ſed teneantur ad votum, & quod uxore vivente violent caſtitatem, niſi cum uxore. Diana *part.* 11. *tract.* 8. *reſolut.* 16. Tamburin. *tom.* 2. *pag.* 112. *cap.* 6. *num.* 5. Rodriqu. Leander, Buſemb. *& com.*

4303 Superiores locales non poſſunt diſpenſare ad petendum debitum, niſi ex commiſſione Provincialis, vel Generalis: quia iſtis a Pio V. eſt conceſſa facultas. Peyr. *tom.* 2 *quæſt.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 76. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 14. & Bordon. Quæ deputatio durat ad libitum Superioris.

4303 Inſuper ipſi Provinciales, aut Generales, & Confeſſarii ab eis ad id ſpecialiter deputati, non poſſunt diſpenſare, niſi in Sacramento Confeſſionis, & in propriis domibus, ſeu Eccleſiis tantum, Diana, *in Sum. verb. Inceſtus numer.* 3. quia hoc exprimit Privilegium.

4305 Bonac. *quæſt.* 4 *de matrimon. punct.* 2. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 11. Caſtropal. & alii apud Dianam *citat.* tenent, quod ſciens dictam affinitatem ex copula, vel cognationem ſpiritualem ex ſuſceptione propriæ prolis in Baptiſmo, aut Confirmatione, cum propria uxore contractam, ignorans tamen inde oriri pœnam privationis juris ad petendum debitum, talem pœnam non incurrat, ac proinde diſpenſatione non indigeat, quia ignorantia pœnæ a lege poſitiva impoſita excuſat a pœna: Ita illi contra Leandrum *de matrim. tr.* 9. *diſp.* 25. *qu.* 62. Confeſſarius tamen, in hac opinione, pœnitentem de impedimento monere debet, ut ſic ab inceſtu deterreat.

CAPUT XII.

De uſu matrimonii, & aliis obligationibus conjugatorum.

4306 TEnetur uxor virum alio abeuntem, & id requirentem, ſequi, niſi aliud ſit in contractu conventum, vel niſi inſcienter vagabundum duxerit, aut eſſet factus vagabundus poſt matrimonium, vel ſi vir vellet vagari cum periculo animæ, & corporis, vel ſi gravis neceſſitas, v. gr. infirmitas ab itinere excuſaret.

4307 Non licet conjugibus aliquid facere, unde generatio prolis impediatur, etiamſi timeatur in partu periculum, aut paupertas ex copia prolis; quia opponitur fini intrinſeco, qui eſt generatio. Poſſunt tamen ex mutuo conſenſu ob id ab uſu matrimonii abſtinere; non tamen poſſunt negare debitum, ſi alter petat.

4308 Vir volens legitimam copulam cum uxore habere, peccat mortaliter, ſi, ut ad eam ſe excitet, illam inchoet ſodomitice, Leander *cit. quæſt.* 36. contra Navarr. qui non eſt audiendus: quia talis actus, cum ſit contra naturam, eſt medium improportionatum ad copulam naturalem, & ſodomia inchoata.

4309 Copula in vaſe legitimo, ſed ſitu præpoſtero, aut alio innaturali, eſt ſolum venialis, ſi non ſit probabile periculum effuſionis ſeminis extra vas.

4310 Uxorem peccare mortaliter, ſi poſtquam vir ſeminavit, tactibus ſe excitet, donec ipſa ſeminet, tenet Rodriqu. quem ſequuntur Caſtropal. & Mendo *in Epit. verb. Matrimon. n.* 2. quia finis generationis, recepto ſemine viri, eſt jam perfectus. Et alias mulier ſoluta, ſi hoc faceret, non committeret peccatum diſtinctum a copula: quia talis provocatio, & ſeminatio poſt conſummationem copulæ ſpectaret ad generationem.

At communior ſententia negat peccare. Leander *de Matrim. tract.* 9. *diſp.* 25. *quæſt.* 41. Diana *part.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 42. Tambur. *lib.* 7. *Decal. cap.* 3 §. 5. *num.* 18. Leſſius, Bonac. & Clericatus *c.* 145. *n.* 33. Quia illa uxoris excitatio eſt completio, & excitatio copulæ; & nimis durum eſſet compeſcere naturam jam irritatam. Inſuper eſt ſententia Scoti *in* 3. *diſt.* 4. *quæſt. unic.* quem ultra ſcholaſticos medici ſequuntur, quod mulier concurrat active ad generationem per veri ſeminis emiſſionem.

4311 Peccat mortaliter vir, ſi incœpta copula libere a ſeminando deſiſtat: quia eſt contra finem generationis, maxime ſi tactibus extra vas ſe polluat. Inſuper peccat: quia mulierem irritatam relinquit, & inde in periculo gravi peccandi. Peccat enim mortaliter mulier, ſi tunc irritata tactibus ſe excitet, ut ſeminet; quia hoc Doctores *n.* 4310. recenſiti concedunt intuitu ſeminis virilis jam ſuſcepti, ſine quo certum eſt finem generationis fruſtrari.

4312 Peccat mortaliter mulier, ſi ſemine ſuſcepto mingit, ſe erigit, aut invertit taliter, ut ſemen foras ejiciatur, ſi non ex accidenti, ſed ſtudioſe faciat, animo impediendi conceptionem. Clericatus *citat. numer.* 30.

4313 Certo tamen probabile eſt, quod viro ſeminante non teneatur mulier ſeminare, quia certo probabilis eſt ſententia D. Thomæ, quod mulier paſſive concurrat ad generationem ſubminiſtrando materiam, minime active per veri ſeminis emiſſionem.

4314 Conjux in abſentia alterius conjugis libidinoſe ſe tangens, peccat mortaliter, etiam ſi non adſit pollutionis periculum, quia hic actus cum non fiat cum conjuge, non eſt conjugalis, nec ad finem conjugii ordinatur; quæ eſt ratio a mortali excuſans tactus impudicos inter conjuges: *ut in num.* 2239. Ita Mendo *in Epit. verb. Matrimon. num.* 3. Qui tamen vocat certo probabilem ab authoritate extrinſeca ſententiam docentem, ſolum venialiter peccare, quam tenent Tamburin. *lib.* 7. *Decal. cap.* 3. §. 5. *a num.* 41. Clericatus *cit. num.* 39. Palud. Ludov. Lopez, Thomas Sanch. & alii apud ipſos: *v. n.* 2239.

4315 In caſu impotentiæ, ſi impotentia ſit antecedens matrimonium, ea cognita, *ut in num.* 4138. *&* 4146. ac proinde ſi adſit periculum incontinentiæ, conjuges recurrere debent ad Epiſcopum pro ſeparatio-

re, & ut declaret matrimonii nullitatem. Quod ſi non adſit periculum incontinentiæ, cohabitare debent ut frater, & ſoror; adeoque non poſſunt uti oſculis, & tactibus impudicis ſine mortali, quia cum eorum matrimonium ratione impotentiæ ſit nullum, ſunt ſicut ſoluti, Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 97.* cum Tancredi, *& com.*

4316 Si impotentia ſit ſuperveniens matrimonio, validum remanet matrimonium, quia matrimonium ſemel validum, ſemper eſt validum, *ex capit. Hi, qui 32. quæſt. 27.* adeoque eis non eſſe prohibita oſcula, tactus, &c. ſi periculum pollutionis non adſit; idque ratione ſtatus conjugalis, propter jus, quod habent ad copulam, ſaltem ad concupiſcentiam ſedandam, & mutuum amorem fovendum, tenent Sanchez *lib. 9. diſput. 44. num. 22. ibidem diſput. 17. num. 19. & 20.* Tambur. *tom. 2. de Matrim. lib. 9. tract. 1. cap. 13. §. 5.* & Clericatus *cap. 133. num. 99. & 193. v. dicta de ſenibus num.* 4296.

4317 Si dos deficiat, tenetur maritus alimenta uxori præſtare, tam ex charitate, quam ob ſervitia, & obſequia ab ea præſtita. E converſo uxor tenetur alere maritum pauperem effectum, aut ad carceres, vel triremes damnatum: ſi tamen ipſa poſſibilitatem habeat, vel ex bonis dotalibus, aut paraphernalibus, vel alio modo acquiſitis. Ita Clericatus *cap. 145. num. 8.* ex Tambur.

4318 Nomine alimentorum veniunt omnia neceſſaria ad victum, veſtes, habitationem, ſervos, &c. juxta decentem conditionem ſtatus.

4319 Maritus tenetur pro viribus, & juxta ſuam conditionem, alimenta præſtare uxori, duobus exceptis caſibus, 1. Si abſque cauſa nolit cum eo cohabitare, 2. Si maritus dotem promiſſam conſequi non poſſit, & parentes, qui eam debent, ſint habiles, & nolint dare. Clericatus *cap. 145. n. 8.* cum Tambur. *lib. 5. in Decal. cap. 3. §. 3.*

4320 Si uxor ex juſta cauſa recedit e domo mariti, quatenus, v. gr. eſt adulter &c. tenetur maritus, ut ſupra, ei alimenta præſtare extra domum, etiamſi uxor aufugerit, ſed culpa mariti. At ſi aufugit ex propria culpa, non poteſt maritus ad alimenta danda cogi, quia qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet. L. Julianus 14. & ex aliis juribus. In qua re attendenda eſt praxis.

ANTEPHATUM

4321 Eſt *Donatio, quæ ſit a marito uxori propter nuptias.*

A marito enim poſt mortem præter dotem, quæ uxori reſtituitur, elargitur alia ſumma pecuniæ ob nuptiarum amorem, quæ *Antephatum* nuncupatur, quæque donari ſolet judicio, & arbitrio prudentis, attentis conditione, & bonis mariti, atque uxoris; & juxta diverſitatem ſolent eſſe quinquaginta, centum, quinquecentum, mille ſcuta, &c. juxta locorum praxim, conſuetudinem; & maxime dari ſolet intuitu virginitatis.

4322 Suppoſita paritate conditionis, viduis debetur medietas antephati, quod donatur virginibus.

QUÆRES.

4323 *An antephatum intuitu virginitatis lucretur a puella prius ab alio corrupta, quæ communiter putabatur virgo?*

Reſpond. affirmative. Diana *part. 8. tractat. 6. reſolut. 126.* Tancred. *tom. 1. de matrim. 2. quæſt. 41.* Sanchez *lib. 6. diſput. 27. num. 4.* Dixi *ab alio corruptæ*; quia ſi ſupponatur corrupta ab eodem, cui poſtea nupſit, non eſt dubium, quod lucretur.

Ratio aſſertionis eſt, quia nomine virginis in jure ſemper præſumitur illa, quæ communi opinione exiſtimatur virgo. Hac ratione *in n.* 2560. diximus, legatum pro maritanda virgine lucrari a puella clam corrupta. Diana *part. 2. tractat. 2. reſolut.* 52.

De donationibus inter conjuges: *v. n.* 2372.

De oſculis, & amplexibus inter ſponſos de futuro; *v. a num.* 2227.

De conſenſu parentum in nubendo: *v. n.* 2039.

De Matrimonio fuſe & plene agunt Scotus *in 4. a diſt. 26. ad* 41. Maſtrius *diſput.* 20. Tambur. *tom.* 2. Diana *part. 3. tract.* 4. & alibi, Leander, & per duos tomos Sanchez, & Tancredi.

PARS QUINTA.

De Cenſuris, & Pœnis.

CAPUT II.

De Cenſuris.

4324 Cenſura, *eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis pro culpa inflicta, privans uſu aliquorum ſpiritualium bonorum, per Eccleſiæ poteſtatem impoſita, ut fidelis baptizatus a contumacia diſcedat.*

4325 Cenſura eſt triplex: Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum. Irregularitas non eſt cenſura, ſeu pœna medicinalis; ſed impedimentum Canonicum, & inhabilitas ad Ordines, Beneficia, Officia, &c.

4326 Ad validitatem cenſuræ, 1. Requiritur culpa, 2. In cenſura ferenda ab homine requiritur trina monitio, niſi urgens neceſſitas aliud ſuadeat: *cap. Sacro, & cap. Statutum, de ſenten. excommunic. in 6.*

Inſuper, quod feratur in ſcriptis cum expreſſione cauſæ, & nominis tam ejus, qui fert, quam ejus contra quem fertur cenſura, *cap. In cauſis de ſentent. & re judic.* In cenſura vero a jure non requiritur monitio, quia ipſum jus præcedens eſt continua monitio. Clericatus *c.* 147. ex Maſtrio *in Theolog. moral. diſput. 13. n.* 15.

Unde non poteſt ferri cenſura pro delicto præterito, aut non completo; ac proinde requiritur, ut præcedat monitio.

4327 Subiectum cenſuræ eſt ſolus homo vivus, baptizatus, rationis & doli capax, ſubditus ejus, qui fert cenſuram: *v. n.* 4340. Unde (ut recte advertit Clericatus) locuſtæ non dicuntur excommunicari, ſed maledici. *v. n.* 1773.

Nec mortui dicuntur excommunicari, ſed declarari incurriſſe in cenſuram ante mortem; & ſi dederint ſigna pœnitentiæ, poſt mortem abſolvuntur, ſeu abſoluti declarantur, ad effectum ſepulturæ Eccleſiaſticæ, *cap. A nobis, 2. cap. Sacris, v. n.* 4378.

4328 Communitas, aut Collegium poteſt ligari ſuſpenſione, & interdicto, *cap. De ſede vacante, de ſentent. Excom. in 6.* Minime excommunicatione, *cap. Romana eod. tit. in 6.*

4329 Poteſtatem ferendi cenſuras, ultra Papam, & Epiſcopo, habent legati Papæ, ſive ſint legati a latere, ſive nati, ſive miſſi, *Ex cap. legatus, de Offic. leg. in 6.* Concilium Provinciale Archiepiſcopi, & Diœceſanum Epiſcopi; Capitulum ſede vacante, quia ſuccedit in tota juriſdictione, tam ordinaria, quam voluntaria Epiſcopi: Inquiſitores, quia ſunt Delegati Sedis Apoſtolicæ; Prælati Religionum, videlicet Generales, Provinciales, Abbates, Guardiani, Priores, *ex cap. cum in Eccleſia, de Majorit. & obed.* Vicarius Capituli Sede vacante, ex Trident. *ſeſſ. 24. de reformat. cap.* 16. Vicarius Papæ, Vicarius Provincialis Epiſcopi: minime Vicarii foranei, quia hi non faciunt idem tribunal cum Epiſcopo.

4330 Poteſtatem ferendi cenſuras, ex jure communi non habent Archidiaconi, & Archipresbyteri, niſi auctoritas Epiſcoporum acceſſerit, vel niſi alicubi eam ſint conſecuti in ipſa inſtitutione, aut ex conſuetudine legitime præſcripta, & approbata: Eam in nullo caſu habent Parochi, quia ſolum juriſdictionem habent in foro pœnitentiæ, minime in foro exteriori, & contentioſo, *ex cap. De perſona 11. quæſt.* 1. Leander *de cenſuris tract. 1. diſp. 3. a quæſt. 8. ad* 37.

4331 Cenſura lata contra facientes, non comprehendit mandantes, & conſulentes, niſi ſit expreſſa clauſulis comprehendentibus quoſcumque cooperantes; quia odia non ſunt amplianda.

4332 Quatuor ſunt cauſæ, quæ excuſant ab incurſu cenſuræ. Prima eſt ignorantia invincibilis juris, aut facti, cui eſt anneχa cenſura, *cap. Si vero, & cap. 2. de ſentent. excom. in 6.* Imo ſi cenſura eſt lata contra præſumentes, requirit ſcientiam: unde ab ea excuſat ignorantia craſſa, minime ignorantia affectata: quia ſi adeſt ignorantia, non habetur contumacia; ad incurrendam autem cenſuram requiritur contumacia: *v. n. 3299. & tom. 2. a num. 374. ad* 383.

Contumacia eſt, cum quis ſciens, rem aliquam eſſe prohibitam ab Eccleſia ſub cenſura, ſeu ſub excommunicatione, nihilominus illam committit.

Inadvertentia etiam excuſat; quia æquivalet ignorantiæ.

Secunda eſt impotentia, ſive phyſica, ſive moralis: unde non incurrit cenſuram contra detinentem rem alienam latam, qui non habet quid reſtituere: Nec qui ob metum gravem cogitur omittere, aut facere aliquid, quod ſub cenſura præſcribitur, in priori namque caſu adeſt impotentia phyſica, & realis, in poſteriori impotentia moralis. Metus gravis erit metus mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, & ſimilium damnorum: *v. tom. 2. a n. 37. & a n.* 266.

Tertia eſt appellatio legitime interpoſita ad Superiorem poſt comminationem cenſuræ ab inferiori facta, antequam incurratur.

Hinc Leander *de cenſuris tract. 1. diſp. 3. q.* 39. docet, non poſſe Prælatum, ſeu Judicem, qui poteſtatem habet ferendi cenſuras, illas ferre contra eum, qui antea legitime appellaverat, aut recuſationem fecerat; quod tamquam certum tenet, & probat: Quia appellatio in tempore facta, ſuſpendit uſum juriſdictionis in Judice, ut habetur expreſſe *in cap. Romana, & cap. Si a Judice, de appell. in 6.* & ibi Gloſſ. *verb. teneris.* Idemque omnino facit recuſatio Judicis facta, antequam ſententiam excommunicationis, vel alterius cenſuræ ferat, ut habetur etiam expreſſe, *cap. Quoties, Epiſcopi 2. q. 6.* & ibi Gloſſ. *Appellent.* Sic omnes. Ugolin. *tabul. 1. cap. 2. §. 22. & 23.* Filliuccius *tract. 11. cap. 2. q. 9. n.* 40. Cornejo *tract. 5. de cenſ. in genere diſp. 2. dub. 4. verſ. Infero tertio*, Ægid. *diſput. 13. de cenſur. dub. 5. n.* 33. Alter. *lib. 3. de cenſur. diſp. 5. cap. 1. per totum*: qui vero cum communi contrarium docet, loquendo de appellatione non facta in tempore, hoc eſt facta poſt latam ſententiam excommunicationis, vel alterius cenſuræ, quod ſcilicet tunc appellatio non habeat vim ſuſpendendi, ex *cap. ad reprimendam, de offic. Ordin.* ſed ſolum devolvendi, ut Superior poſſit cognoſcere de juſtitia excommunicationis.

Quarta eſt prorogatio termini facta ab eo, qui cenſuram tulit. Clericatus *cit. n.* 23. ex Maſtrio.

4333 A cenſuris a jure, ſi non ſint reſervatæ, abſolvere poteſt quilibet Confeſſarius in foro interno conſcientiæ, in foro exteriori Superior cenſurati, *cap. Nuper, de ſenten. excom.* Si ſint reſervatæ, ab eo, cui ſunt reſervatæ, aut ejus delegato, vel ad id privilegiato, vel a Superiore ejus, cui ſunt reſervatæ; de quo fuſe dictum eſt de caſibus reſervatis.

A cenſuris ab homine, non niſi ab eo, qui eas tulit, aut ſucceſſore, & pariter ab ejus Superiore, aut delegato, excepto mortis articulo, in quo quidem quivis Confeſſarius poteſt a quibuſvis cenſuris abſolvere, ſub onere, ut elapſo periculo coram Superiore compareat, ad exequendum, quod ille præſcripſerit, *cap. Eos, de ſent. excom. in 6.* ut fuſe in loco *cit.*